



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 99. Albertus Austriae Archidux Cardinalium Collegio adscriptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A. C. 1577.

§. XCIX.

Albertus Austriae Archidux Cardinalium Collegio adscriptus.

*Miræ. in
elog.
Ciac. vit.
Pontif.
t. I. p. 51.*

Interea summus Pontifex hoc anno Purpuratorum Collegio adscripsit Albertum Austriae Archiducem sextum Maximiliani II. Cæsaris, & Mariæ Austriae, quæ Caroli V. Soror erat, filium viginti annos natum, cujus præclara merita Gregorius XIII. in pleno Patrum Senatu deprædicavit, atque eidem rubrum galerum ad Madritensem urbem transmisit, ministerio usus Bononiensis Senatoris Cardinali sancti Sixti sanguine juncti, cui pariter in mandatis datum, ut Pontificis nomine rosam sacratam Hispaniæ Reginiæ offerret. Porro Ormanettus Patavinus Episcopus, atque apud Philippum II. Sedis Apostolicæ Nuntius novo huic Cardinali tonsuram contulit, eique in Fratrum Hieronymianorum Ecclesia præsentem Rege, totaque Aula consuetis solemnitatibus galerum imposuit. Hic idem Archidux Cardinalibus Diaconis sub titulo sanctæ Crucis in Jerusalem adscriptus vigesimo post anno Cardinalitiam dignitatem dimisit, atque Elisabetham, Claram, Eugeniam de Austria, Philippi II. Regis, ac Elisabethæ de Francia Filiam duxit, dotisque

tisque nomine Belgium Catholicæ Re- **Sæcul XVI.**
 ligioni addictum, necnon Burgundiæ **A.C.1577**
 Comitatum accepit.

§. C.

Pauli Aretii Cardinalis obitus.

Anno Domini millesimo quingentesi- **Ciacon. t. 3.**
 mo septuagesimo septimo tres Car- **pag. 1049. in**
 dinales e vivis excefferunt, quorum **Vittorel.**
 primus erat Paulus Aretius, seu Arez- **addit. Ciac.**
 zo natione Italus in Cajetana Diæcesi
 ex honesta familia natus, qui a primis
 infantia suæ annis jamjam præclara
 suæ probitatis specimina edebat, ac sem-
 per modestia, verecundia, & eximia
 erga pauperes charitate conspicuus e-
 rat: postquam vero juvenis Salerni, ac
 Bononiæ literis non segniter incubue-
 rat, ac humanioribus literis, Philoso-
 phiæ, & Theologiæ, linguarum quo-
 que peregrinarum, Græcæ præsertim
 notitia imbutus erat, legum quoque
 scientiæ operam dabat, in utroque jure
 Doctoris Lauream consecutus: subinde
 vero patronum caussarum egit tanta
 cum integritate, ac nominis celebri-
 tate, ut passim Doctor veritatis dice-
 retur, præcipue enim non minus ani-
 mo a quæstus aviditate alieno, quam
 morum probitate sua clarus erat: ni-
 hilominus hoc vitæ genus oppido per-
 tæsus, ac sua erga pietatem propen-

D d 4

sione